

lesu dulcis memoria

m. gregoriano
trasc. a.p.

1. le - su dul - cis me - mo - ri - a dans ve - ra cor - dis gau - di - a

sed su - per mel et om - ni - a e - ius dul - cis prae - sen - ti - a A - men

2. Nil canitur suavius,
nil auditur iucundius;
nil cogitatur dulcius,
quam Iesu Dei Filius

3. Iesu, spes paenitentibus,
quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

4. Iesu dulcedo cordium!
Fons vivis, lumen mentium;
excedens omne gaudium,
et omne desiderium.

5. Nec lingua valet dicere,
nec littera exprimere;
expertus potest credere,
quid sit Iesum diligere

6. Iesum quaeram in lectulo,
clauso cordis cubiculo:
privatim et in publico
quaeram amore sedulo

7. Cum Maria diluculo
Iesum quaeram in tumulo;
clamore cordis querulo,
mente quaeram, non oculo

8. Tumbam perfundam fletibus,
locum replens gemitibus;
Iesu provolvam pedibus,
strictis haerens amplexibus

9. Iesu rex admirabilis,
et triumphator nobilis;
dulcedo ineffabilis,
totus desirabilis

10. Mane nobiscum, Domine,
et nos illustra lumine;
pulsa mentis caligine,
mundum replens dulcedine

11. Quando cor nostrum visitas,
tunc lucet ei veritas;
mundi vilescit vanitas,
et intus fervet charitas

12. Amor, Iesu dulcissimus,
et vere suavissimus,
plus millies gratissimus,
quam dicere sufficimus

13. Hoc probat eius Passio,
hoc sanguinis effusio;
per quam nobis redemptio
datur, et Dei visio

14. Iesum omnes agnoscite,
amorem eius poscite;
Iesum ardentem quaerite,
quaerendo inardescite

15. Sic amantem diligite,
amoris vicem reddite;
in hunc odorem currite,
et vota votis reddite

16. Iesu auctor clementiae,
totius spes laetitiae;
dulcoris fons et gratiae,
verae cordis deliciae

17. Iesu mi bone, sentiam,
amoris tui copiam;
da mihi per praesentiam
tuam videre gloriam

18. Cum digne loqui nequeam
de te, tamen ne sileam:
amor facit ut audeam,
cum de te solum gaudeam

19. Tua, Iesu, dilectio,
grata mentis refectio;
replens sine fastidio,
dans famem desiderio

20. Qui te gustant esuriunt;
qui bibunt, adhuc sitiunt;
desiderare nesciunt,
nisi Iesum, quem diligunt

21. Quem tuus amor ebriat,
novit quid Iesus sapiat;
quam felix est, quem satiati!
Non est ultra quod cupiat

22. Iesu, decus angelicum,
in aure dulce canticum,
in ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum

23. Desidero te millies,
mi Iesu: quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?

24. Amor tuus continuus,
mihi languor assiduus;
mihi fructus mellifluus
est et vitae perpetuus

25. Iesu, summa benignitas,
mira cordis iucunditas;
incomprehensa bonitas,
tua me stringat charitas

26. Bonum mihi diligere,
Iesum, nil ultra quaerere;
mihi prorsus deficere,
ut illi queam vivere.

27. O Iesu, mi dulcissime,
spes suspirantis animae,
Te quaerunt piaec lacrymae,
Te clamor mentis intimae

28. Quocumque loco fuero,
mecum Iesum desidero;
quam laetus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!

29. Tunc amplexus, tunc oscula,
quae vincunt mellis pocula;
tunc felix Christi copula;
Sed in his parva morula.

30. Iam quod quaesivi, video,
quod concupivi, teneo;
amore Iesu languo,
et corde totus ardeo

31. Iesus cum sic diligitur,
hic amor non exstinguitur;
non tepescit, nec moritur,
plus crescit, et accenditur

32. Hic amor ardet iugiter,
dulcescit mirabiliter;
sapid delectabiliter,
delectat et feliciter

33. Hic amor missus coelitus
haeret mihi medullitus;
mentem incendit penitus,
hoc delectatur spiritus

34. O beatum incendium,
et ardens desiderium!
O dulce refrigerium,
amare Dei Filium!

35. Jesu, flos matris virginis,
amor nostrae dulcedinis;
Tibi laus, honor numinis,
regnum beatitudinis.

36. Veni, veni, Rex optime,
Pater immensae gloriae,
affulge menti clarius,
iam expectatus saepius

37. Jesu sole serenior,
et balsamo suavior;
omni dulcore dulcior,
ceteris amabilior.

38. Cuius gustus sic afficit,
cuius odor sic reficit;
in quo mea mens deficit,
solus amanti sufficit

39. Tu mentis delectatio,
amoris consummatio;
tu mea gloriatio,
Iesu mundi salvatio

40. Mi dilecte, revertere,
consors paternae dexterarum;
hostem vicisti prospere,
iam coeli regno fruire

41. Sequar te quoquo ieris,
mihi tolli non poteris;
cum meum cor abstuleris,
Iesu laus nostri generis

42. Coeli cives, occurrite,
portas vestras attollite;
triumphatori dicite,
"Ave, Iesu, rex inclyte".

43. Rex virtutum, rex gloriae,
rex insignis victoriae;
Iesu largitor veniae,
honor coelestis patriae

44. Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen patriae:
pelle nubem tristitiae,
dans nobis lucem gloriae.

45. Te coeli chorus praedicat,
et tuas laudes replicat:
Iesu orbem laetificat,
et nos Deo pacificat

46. Iesus in pace imperat,
quae omnem sensum superat;
hanc mea mens desiderat,
et ea frui properat

47. Iesus ad Patrem rediit,
coeleste regnum subiit;
cor meum a me transiit,
post Iesum simul aebiit

48. Quem prosequamur laudibus,
votis, hymnis, et precibus;
ut nos donet coelestibus,
secum perfrui sedibus. Amen